DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

HYSTERERGIA MEDICA,

Von

Der Nach-Cur.

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXXVI. D. APRIL.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET


RESPONDENS

JOH. DANIEL SCHNAPPERUS,


GIENGA - SUEVUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



PROOEMIUM.



INnumera ſane eaque æquitatis ac rationis normæ maxime congrua ſunt merita atque officia, quibus benefica natura fragile corpus humanum in œconomia vitæ naturalis beare & fulcire ſolet, ita, ut oppugnatores & perduelles illius in propria ſua viſcera ſæviant & graſſentur, qui pertinaci livore & mordaci odio negative concludunt, ſe velle, ut ea in ſe regnaret, wir wollen nicht, daß dieſer über uns herrſche, quin rectius cum coaxantibus & ſalientibus ranis æſopicis, aut truncum, aut elaſtico roſtro glocitorantem ciconiam, quippe regem, motorem & directorem in œconomia vitæ naturalis ſeligunt: ideo varia fabuloſa vituperatione eadem torquetur & afficitur: eam ob injuriam LANGIUS *Lib. 2. Ep. 2. pag. 544.* exclamat: *Natura (inquiunt EJUS CALUMNIATORES) hominem*

in die natali nudum & inermem, velut naufragio ejectum, ſupra nudam humum enixa ſtatuit, & p. 547. valeant igitur in perpetuum philoſophiæ Democriti & Epicuri aſſertores, qui naturam, quod hominem nudum & inermem medicinæque ignaram, deterius quam beſtias conditione produxiſſe calumniari non erubeſcunt: Opera vero quibus natura officioſam ſe præbet, æque ita diſcrepant, ac communiter dicitur, quot capita, tot ſenſus: ideoque ſimilis judicii imbecillitas eſſet, ſi quis ex ſiniſtris, periculoſis, præmaturis, aut cunctatis & ſerotinis proceſſibus naturam irrationalem declarare vellet, ac hæc eadem deciſio & cognitio turbulenta, perverſa, præcipitata & erronea exiſtit; ut hoc reſpectu æquipollens enunciatio ſit, naturam ſtolidam æſtimare, ac tale judicium fatuum prædicare: eaque propter haud ſubito naturam quis invehere, irruere, invadere & inſultare debet, ſi non juxta noſtrum arbitrium, cenſuram, captum, & dictaturam negotia ſua inſtituerit: omnia ſuos habent ortus, ſua incrementa ſuosque exitus: horæ, moræ & circumſtantiæ variant; hinc quædam mature, alia ſucceſſive eveniunt, & non raro moderatæ & ſedulæ actiones melius metam, quam præcipitatæ & turbulentæ aſſequuntur: Ingenuus itaque naturæ miniſter judicioſe & attente hæc opera & tempora, hoſce ordines & modos agendi obſervat, nec vagis opinionibus, aut ſciolis imaginationibus confundit, obſcurat & diffamat: hinc nigri, pigri & fatui judicii character eſt, ſi qui præoccupati cenſores ludicre obganniunt, pigrum aſſertum eſſe, naturam rationalem venerari; quaſi viciſ-

ſim ſedulitatis, ſi non rectius ſtupidæ credulitatis index eſſet, naturam irrationalem & chimæricam ſupponere. Quemadmodum enim per individualem diſcrepantiam quidam homines negotia ſua uno eodemque ſucceſſu & proceſſu exequuntur, alii viciſſim pro circumſtantiarum varietate & viciſſitudine quod in opere quodam præcipuum eſt, intenſiori applicatione atque virtute perficiunt, quod reliquum eſt, placide & tacite ſucceſſiva mora adminiſtrant, ſiquidem haud in quolibet opere cauſæ & circumſtantiæ unam continuam deſiderati & neceſſarii finis proſecutionem permittunt: Satis nervoſe candidus, judicioſus & peritus B. LENTILIUS *in Eteodromo ſuo medico-practico* (poſteaquam in *Præfatione p. 9.* profeſſus eſt: *Praxin hypotheſibus meis inædificatam hactenus per Dei gratiam in triginta tribus annis exercui non infelicem, quin ne vos omnes infelicius medicemini ex toto pectore precor: Stahliana fundamenta mihi, fateor, placent, junioribusque medicis, quibus otium legendi & meditandi ſupereſt, ut ea ſibi familiaria reddant, ſuadeo, Senior autem ſum ego & nimium occupatus, ut iſta demum in ſuccum, quod aiunt, & ſanguinem vertere poſſem, generalioribus de iis conceptibus contentus. Vos igitur Practicos juniores* NB. Senex hic ingenuus & celebris fuit Practicus; *adhuc ſemel omni ſedulitate monitos eſſe velim, ne niſi in praxi miſere hallucinaturi, rerum novarum cupidine ſeducti, cuilibet recenti hypothetico fidem adhibeant: Nam pro theſauro carbones, ſi non ſemper, utplurimum tamen ex illis colliguntur, quod non ſemel expertus aſſero) p. 393.* eloquitur: *Sat temporis eſt, quod naturæ ſat eſt; & quod naturæ ſufficit, ſufficit etiam*

Curæ: quo itaque alii ad veriorem, ſinceriorem & penitiorem naturæ cognitionem perveniant, ita illos *p. 203.* adhortatur & alloquitur: *obteſtor Juvenes, ut non tam facile credant hypotheſibus noviter effictis, & per phyſicos avtomatarios ſuaviter magno ingenio excogitatis, quibus ſi praxin ſuam inædificare ſuſtinent, næ magnum errant errorem.* Quicunque itaque naturam odio proſequuntur, illi nec rationali & ſobria methodo morbis mederi ſciunt, ſed erroneas fingunt indicationes maximaque inconſtantia incertitudinem ſcientiæ & peritiæ ſuæ produnt: Eaque propter ſat ſæpe in rite cognoſcendis effectibus & operibus naturæ acquieſcere, & ſi juxta SCRIBONIUM LARGUM & CELSUM ut *S.P.Q.B. p. 15.* etiam teſtatur, *medicina ars ſanandi, non nocendi eſt,* hæc tempora, moras, horas, curas, ordines ac proceſſus naturæ oculis judicioſis & ſerenis, non luſcioſis, cornutis & fucatis intueri & annotare, imo prudenter imitari debemus: ideo ex fructibus, effectibus & operibus cognoſcere licet naturam non ſtupidam, brutam & plane irrationalem eſſe, hinc aliquando de meliori æſtimatione & dijudicatione valet illud EURIPIDIS *in Hippolyto* δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι *cogitationes poſteriores, ſapientiores eſſe ſolent prioribus:* quid? quod veritati perquam conſonum eſt, quod *Syracides* elocutus eſt *cap. 18. v. 6. non eſt minuere aut augere, ſed neque perveſtigare Domini miracula: cum abſolverit homo, tum incipiendum erit, & cum deſtiterit, tum dubitabit:* & *cap. 43. v. 34. 35. multa occulta ſunt his majora, pauca enim ejus operum didicimus: nam fecit omnia Deus, deditque piis ſapientiam.* Non paucis vero occul-

occulta ſunt naturæ opera, ſua quidem propria culpa, quia naturam non agnoſcunt, eaque propter ignoti nulla eſt cupido: quædam vero eadem natura operatur, quæ attentionem merentur, ita ex ante occultis, nunc manifeſta fient: hinc *Meiſnerus Philoſ. ſobr. Sect. 1. qv. 6. reg. 3. Sect. 4. qv. 5. p. 1180.* dicit: *in natura multa latent ἄγνωστα, quæ niſi fieri videremus, nunquam crederemus, ſed inter ἀδύνατα & ἀντιφάτικα referemus:* dum itaque judicioſæ artis Medicæ indicium eſt, ſi aliquando induciæ ordinantur, ne nimium ſollicito officio artificioſo natura obruatur, ut recte indicet & judicet LOCHNERUS, *qui in tr. de Parreira brava A. N. C. Cent. I. II. app. p. 291.* ſcribit: ETTMÜLLERUS dicit: *ubi nempe ad tempus fruſtra adhibita fuerint medicamenta (vid. in calculo) ſubſiſtatur & feriæ quaſi permittantur naturæ, ne illo uſu nimio, plus quam par eſt ad renes moveantur cruditates: quod obſervatione* EPIPHANII *Ferdinandi illuſtrat: vid. Antonida de Sapient. Medic. ſ. 25. ſæpe nulla res magis admovet laborantem, quam tempeſtiva abſtinentia, non jam dico a cibo, ſed medicina. Audiant, qui intereſſe honoris ſui arbitrantur, ne qua viſitatio, tranſeat ſine Recipe. Aliquando ſola dies & quies ut graves morbos ſanant, ſic magnos motus ſedant. In alimentis varietas delectat, in medicamentis paucitas. Sicuti in ethicis idem vagus & vanus eſt, ita in medicis præſcriptor immodicus fit proſcriptor exitioſus:* ita Medicus Naturæ ſcrutator non turbulentum & confuſum ſibi de natura ſenſum formet & fingat neceſſe eſt, nec artis & naturæ leges commiſceat: genuina enim natura rationes temporis ſervat, & nunc in medicatrice ſua virtute cito, nunc jucunde,

cunde, nunc arduo processu, nunc post aliquam moram sanitatem restituit: Et hanc qualitatem consequentis sanitatis, tam sub libero processu naturæ, quam sub connubio artis evenientem, placuit præsenti Inaugurali disputatione sub titulo HYSTERERGIÆ MEDICÆ explicare; Quæ observatio & disquisitio Practica, notatu etiam digna, sub nostro labore cœlesti adjutorio ita a nobis consecratur, ut salutaris inde sperandus & impetrandus veniat scopus.

§. I.

NOtio præsentis thematis non quidem *technica*, aut artis Medicæ est, sed *generalem* significatum habet, quæ *variis* operationibus humanis applicari potest, & indicat opus *posterius*, aut consequens, *secundum*, futurum eine Nach-Arbeit, Nachwerck, Nachgeschäffte, opus quod post aliquam *moram* temporis & circumstantiarum varietatem, quippe secundarium & *alterum*, prius, *antecedens*, *principalius*, cum quo *cohæret*, excipit & *sequitur*, ideoque peragit, quod præcedente labore *non plenarie* administratum fuerat, eine endliche Vollbringung eines vorhin angefangenen Werckes: nominamus vero hoc negotium *Medicam Hystergiam*, ut a generali ad *specialem* occupationem illud applicemus, ideoque eandem dicimus esse *Motuum vitalium & connexarum congruarum functionum, alteram, ultimam & iteratam applicationem & modificationem ad morbi cujusdam prægressi, admodumque fracti, adhuc vero continuantis plenariam salutarem solutionem post congruorum*

remedio-

remediorum usum & utilem effectum a natura vegeta administratam, & post aliquam temporis moram consequentem: ideo in titulo vocavimus eine Nach-Cur, i. e. sanationem, quæ non *sub maximo* morbi vigore, nec etiam *sollicita* & *operosa* remediorum ordinatione & usurpatione, sed *post* aliquem temporis terminum demum, sequitur: Hanc notionem BRUNO in Lexico ita interpretatur: *Rosinus Lentilius hoc nomen licentiose finxit: significat actionem naturæ, quam præcedente cura cum intenderet, post longius plerumque temporis spatium, producit, vel medicus illius subsecuturæ in solatium ægrorum morbo chronico correptorum, spem facit, etsi quandoque falsam:* hoc solatium non omnino vanum esse LENTILIUS *Eteodr. med. pract. p. 610.* testatur, inquiens: *nec enim esse in Hysterergia medicinali* (in der Nach-Würckung) *vanum solatium, quod multis persuasum: Sed revera nonnunquam parum contentos a fontibus medicatis domum redeuntes, demum ex hysterergia post multas septimanas voti damnatos fuisse:* Vocamus itaque hanc mutationem in meliorem statum ἔργον opus, operationem, quæ præmissorum *remediorum* operationem *physicam* & alterationem aut in *humores* impuros, crassos, viscidos &c. aut in *organa* plus minus obstructa, aut in *vasa* occlusa, aut in *motus* anomalos comparate communicatam, excipit & prosequitur, ut nunc ulterius leniori & temperatiori progressu humores emendentur, organa & vasa permeabilia & aperta reddantur, nec non motus in meliorem ordinem transeant: ideo hæc hysterergia non in abstracto, sed in concreto, non in privatione & quiete, sed in *actione continuante* consistit: Hæc operatio hysterergiæ cohæret cum proterergia, dum *supplet* & conficit, quod *prior* me-

dela magna ex parte præparavit & aptavit, ita ut hoc *consequenti* opere nec tali *ſtrenua motuum* exercitatione, nec tam *ſollicita* & multa *remediorum* oblatione opus amplius, ſed *propriis* viribus *moderato* ſucceſſu elaborari poſſit, quod ad *integræ* ſanitatis reſtitutionem pertinet; id quod tanto magis ſperare licet, ſi in præcedente *intenſiori* magisque arduo morbi progreſſu *vires* ægrotantium *non nimium* dilapidatæ & oblata *remedia* non valde ſalubri ſua efficacia *deſtituta* ſunt; quare hæc hyſterergia, eine Nach-Arbeit, juxta *naturalem* ſenſum requirit proterergiam eine Vor-Arbeit oder Vor-Würckung: ideoque hæc operatio *Medica*, i. e. *ſalutaris*, non tam in *contemplatione*, opinione, præſumptione & fiducia, quam executione & *effectu* conſiſtere debet: ob id hæc obſervatio, quia circa *Naturæ* in œconomia *vitali* adminiſtrari ſolita officia, circa *morbos* horumque *ſalutares* præc. decurſus, circa *naturæ* & *artis* commercium, circa *medicamentorum* ſalutiferam directionem & ſublevationem, circa *vires* & *vigorem* naturæ in *corporis* protectorio, circa motuum *vitalium* ſalubrem proſecutionem, imo circa *ſingulares* plane *morboſarum* cauſarum directiones verſatur, ad *Medicum* etiam forum jure meritoque referri meretur.

§. II.

Præterea veritati apprime conforme eſt, quod DIETERICUS *in Jatreo Hippocr. p. 517.* obſervationis attentæ integritate prodit & teſtatur: *quosdam eſſe morbos, qui tardam amant manum pharmaceuticam, non tumultuariam,* & quod ideo conveniat, morborum *decurſus* rite annotare & perite tractare, ne audaci præcipitantia *ſalutares* illorum exitus turbentur: inter alias ſelectas conſideratio-

nes

nes & utiles obſervationes, quæ ex Hippocratis oraculo ad poſteros propagatæ ſunt, hanc etiam B. STAHLIUS *in notis ad Satyr. Harvei cap. 1. p. 16.* allegat: *intercurrebant in ſenſus*, inquit, *perpetua exempla, quomodo natura in variis morbis expectet maturationem: maturas materias ſecernat & ſecretas excernat:* unde nihil *impetuoſe* & fugitive, aut in *ſpontanea*, aut *artificiali* curatione perfici debet, ſed provide ac judicioſe operationum ſalutares ſucceſſus expectandi & ſubordinandi ſunt: videtur cum hac conſideratione quadantenus convenire obſervatio, quam HIPPOCRATES *Lib. de nat. hum. ſ. 17. text. 1. ſq.* profert: *quicunque morbi hyeme augeſcunt, æſtate deſinere ſolent: quicunque vero æſtate augeſcunt, hyeme finire conſueverunt, niſi certo dierum circuitu diſcedant: quicunque autem morbi vere fiunt, ad autumnum eorum diſceſſum fore expectare oportet: quicunque poſtremum autumnales morbi ſunt, eorum diſceſſu neceſſe eſt vere fieri &c.* Sermo Hippocrati eſt, de ſolutione morbos prægreſſos per rationem & variationem anni temporum conſequente, quæ non proxime, ſed poſt plus minus longam temporis moram & diſtantiam ſupervenit; ideoque *certo reſpectu* & interpretationis modo *Hyſterergiæ* adſcribi poteſt: *nec* tamen talem *ſucceſſivam* curationem in *omnibus* caſibus *ſoli* naturæ hujusque *ſpontaneis* tribuimus viribus, ſed in nonnullis affectibus *medicamentis*, quod *ſuum* eſt, horumque operationi, in *diſtantiam* temporis ſe extendenti, illam, quantum par eſt, adſcribimus; nec præterea *uni ſoli* ſpeciei remedii hanc *ſynergeticam* qualitatem aſſignamus, uti quidem de nonnullis *medicamentis* innoteſcit, ſed varias medicamentoſarum talium ſubſtantiarum ejus efficaciæ eſſe ex-

 peri-

perimur, quod ſanationem *pediſſequam* demum complectantur, ne extemporaneam & *præſentaneam* opem conferant, haud tamen diffitemur, quod interdum hæc *conſequens* curatio *plurimum* ſpontaneis illis motibus naturæ tribui mereatur, ut huc quadret, quod THONERUS *Lib. I. obſ. 19. p. 35.* profeſſus eſt: *Sæpius contingit, ut medici in declinatione morborum, ubi natura victrix, hoc vel illud medium applicent & ægri convaleſcant, ſibi arrogare ſoliti ſalutis cauſam temere:* Inde inclareſcit, ejusmodi morbos, in quibus Hyſterergia expectanda eſt, *lentos* habere progreſſus, nec oblata remedia citatos & ſimul ac ſemel ſufficientes atque completos edere effectus; interea & motus *ſpontanei* & *ante* oblata remedia continuantes ſuos ſervant progreſſus atque ſucceſſus, usque dum *plena*, aut *comparate* congrua cauſæ *morbificæ* emendatio & remotio conſequatur, indeque ſucceſſiva curatio obtineatur: Et hæc obſervatio *non nova*, nec a Lentilio demum detecta, ſed *antiquiſſima* eſt, modo hic auctor indicato nomine, non incongrue, eam denotaverit: Obſervanda proinde eſt illa curatior morborum & curationum *differentia* ne *Criſes*, quæ *certum* temporis terminum, quo morbos *uno ſtrenuo* decurſu procedentes, ſolvere aut mutare ſolent, obſervant, neve aliæ *ſtatariæ* atque regulares morborum progreſſus, qui certum horum *typum*, ordinem, indolem ac *communem* proceſſum ſervant & concernunt, cum hac *hyſterergia* commiſceantur, quæ poſterior *indiſtinctum* temporis terminum, minusque *typicum* morbi ſtatum comprehendit, attamen cum *prævio* morbo, hujusque *continuante* progreſſu atque appendice, nec non adhibita *medendi* methodo & medicamentorum operatione nexum

xum ſat evidentem & peritis obſervatoribus cognitum habet.

§. III.

Curæ *poſteriores* medicæ non *novis* obſervationibus, *inventis* & experimentis *curioſis* adſcribendæ, ſed *novæ medicorum induſtriæ*, qua eadem obſervatio velut ex antiquitate eruta atque curatius commendata & in veritate facti confirmata fuit, tribuendæ ſunt: Specimina hujus hyſtergiæ allegarunt HELWIG *obſerv. phyſ. med. 109. p. 307.* ſub titulo *Nephritici doloris curatio calculo longe poſt, ſine dolore prodeunte*, qui tamen, ſub prævio uſu remediorum non apparuit, ſed poſt *intermiſſum* horum remediorum uſum, demum prodiit: LENTILIUS *in Eteodr. p. 610. ſeq.* unum & alterum *hyſterergiæ medicinalis* exemplum, in attenta experientia fundatum, commemorat: aliud ſpecimen ejusdem curæ idem author *p. 722.* profert, prior æger erat *hypochondriacus* & *arthriticus*, qui cum acidulis, thermis aliisque remediorum ſpeciebus tractatus fuerat, alter *tumore genu* dextri, valde dolorifico, laboravit, variaque interna & externa cum balneis, adhibuit: accedit terdit tertius caſus *p. 1119.* fœminæ cui *multa* auxilia medica & chirurgica adverſus *anomalum Menſium* ſtatum ſine ſufficienter deſiderato effectu ordinata erant: impr. autem hic author in *Miſcellan. Medico-Practicis p. 474.* amplius fuſiusque *de hyſterergia medicinali* tractat, denotatque *appellamus autem hyſterergiam medicinalem per onomatopœiæ licentiam (cum aliud commodius aut ſignificantius vocabulum, nunc equidem nobis non incidat) actionem naturæ, qua effectum, quem præcedenti cura intenderat, poſt aliquod tempus, nunc longius, nunc brevius temporis ſpatium producit:*

 Germa-

Germani vocant: die Nachwürckung, imo quando *antiquiores* medici *de mensura durationis morborum* verba faciunt, *hujus* etiam qualitatis circa *curationes* morborum memoriam faciunt: ideo AETIUS *tetrabibl. 2. Serm. I. c. 1. morbi non semper uno tractu ad salutem tendunt, sed habent sua tempora, moras & mutationes* & AVERRHOES *Lib. 3. collect. cap. 9.* profitentur: *auxilia morbis non uno eademque tempore respondent*, sed virtutem *suam procrastinant: conf.* GALENUS *Lib. de temporibus morborum* passim. Quemadmodum vero hæc consideratio non speculatione & opinione nititur, sed ad *peculiares* observationes spectat, ita etiam non in nuda *fide historica* subsistit, sed ad *Historiam* morborum *confirmandam*, & salutares applicationes inveniendas & instituendas multum lucis & subsidii confert, ut interdum consultum, admodumque utile sit, *ordines* atque *decursus* morborum rite annotare, nec hosce nudo *artis jugo* onerare hinc nonnunquam ex sola attenta illorum *observatione* illa *vera* formatur consultatio, die Kranckheit lasse sich nicht zwingen und forcirn, man müsse ihr den Lauff lassen, sie werde sich noch endlich auscurirn: Sicut Dn. D. PRÆSES nupera dissertatione de *Induciis medicis* fusius demonstravit: quamvis etiam interdum verum sit, quod eloquitur WOLF. *observ. chir. med. Lib. I. obs. 22. p. 75. verum enim vero fallaces fuerunt induciæ & simulatam pacem magis exitiabili bello fregit morbus, donec tandem viribus corporis plane consumtis de natura ageret triumphum:* Nec ingenuis observatoribus ignotum esse potest, quod *quidam* morbi sollicita, *inquieta* & *copiosa* remediorum oblatione magis *pervertantur* & exacerbentur; ideo etiam prudentes & periti Medici consiliis suis suadent & præcipiunt,

piunt, ne *continua* medicamentorum ingeſtione æger *obruatur*, moleſtetur & enervetur, ſed quo ordinatis aliquandiu remediis *commoda* concedatur & concilietur *mora*, qua virtutem ſuam *ſalutiferam* exequi poſſunt, man müſſe denen Artzeneyen Zeit zu ihrer Würckung laſſen: cum qua obſervatione connexa eſt hæc exclamatio, der letzte medicus habe wieder ſchlimm gemacht, was die erſten gut gemacht: ob id quædam *cauſæ* morbificæ, quidam *morbi*, horumque *gradus*, quidam *ægri*, quædam *remediorum* vires & relationes ad ægrum & morbum, quædam aliæ concurrentes circumſtantiæ *talem* habent qualitatem, ut *præſentaneus* effectus *ſalubris haud* conſequatur, ſed illud huc quadret, quod vulgo dicitur: man müſſe der Zeit erwarten: quod itaque hæc obſervatio genuino & *exquiſito* ſenſu *Practica* ſit, teſtatur LENTILIUS *in Miſcell. Pract. p. 475.* inquiens, *ſolertes practici ſalutarem Hyſtergiæ effectum ſæpius, quam theoretici Medici facile concipere valent, comperiuntur:* Hiſce veſtigiis, adhuc annectimus illam GALENI conſiderationem, qua *hanc* morborum *mutationem* & qualitatem, quam nos *Hyſterergiam* dicimus *in comment. in Hipp. de morb. vulgar. Lib. 6. aph. 19. 20.* curationes *imperfectas* vocat, de quibus & *Hippocr.* & *Galenus* aſſerunt, *quando aliquid in morbis effuſum eſt, ſed inſufficienter, ubi aliquid intus relinquitur, quod poſt moram evacuandum eſt:* tandem *Petri* SALII animadverſionem in hunc locum addimus, quando commentatur: *dantur morbi, quibus medicamenta occulta virtute ſalubria ſunt, & qui in tractu ſuo non perfectam ſanitatem aſſequuntur, cum tamen cum medicamentoſa vi levati in alium terminum plenam ſui ſolutionem differant.*

§. IV.

§. IV.

Ad ſubeundam hanc Curationem *ſecundariam* & *conſequentem*, requiruntur certa *Subjecta*, peculiares *Morbi* & ſelectæ quædam *Medicationes* præmiſſæ; quorum reſpectuum jam aliquam ampliorem disquiſitionem inire lubet. *Subjecta*, quod concernit, tunc illa *negative* ratione *ætatis* non eſſe debent *tenera* & *decrepita*, quæ *arduos* & *chronicos* morbos *diu* perferre *non facile* poſſunt, in quibus ætatibus *breviori* temporis circuitu morbi vel in *meliorem*, vel *deteriorem* ſtatum terminantur, quorum ratio *virium* & ſtatus *corporis* talem cunctatam mutationem in melius haud admittit: ideo etiam homines valde *ſenſibiles*, *debiles*, in atonias & *virium* amiſſiones, indeque in animi *deliquia* proni, weichliche, ſchwächliche Menſchen, multum *adverſa* valetudine enervati, ſæpe multumque *medicamentis* per *varios* caſus, per tot *diſcrimina* rerum, per varios modos & *medicos* artifices ſe jactantes, tractati, fortioribus *evacuantibus* debilitati, multis atque prodigis ſpontaneis *ſanguinis* aliorumque humorum *profuſionibus* enervati, in *præcipites* atque immoderatas actiones proclives, qui valde *turbulenti*, inquieti, inſtabilis, impatientis, variisque aliis *affectibus animi* perturbati ſunt; adhanc claſſem pertinent homines ægrotationum plane *inſueti*, ad remediorum & *auxiliorum* tolerantiam & uſum valde moroſi & *adverſi*, in obſervandis regulis & legibus medicis nimium immorigeri & impatientes, in conquirendis & ingerendis diverſis, *diſcrepantibus*, *multis*, contrariis *remediis domeſticis aliisque* prodigi & mutabiles, in conciliatione juſti *regiminis* & congruæ *diætæ* immorigeri, in obſervando *ordine* & methodo medendi minus obtempe-

rantes

rantes, qui exclamant, *medice vivere, peſſime vivere*, ſie könnten ſich nicht ſo geſetzlich tractiren, noch alſo zwingen und binden laſſen: in hanc claſſem referri merentur, *guloſi*, variis *diætæ vitiis ſe deſtruentes*, qui, ut cum CASP. HOFMANNI verbis, *in orat. medic. 1.* eloquar, *neſciunt habere vitæ ſuæ modum, qui pecorum ritu terræ affixi ſunt, qui ventri, gulæque dediti, non vivunt ſecundum rationem, qui aliis vitiis ancillantur, ii capere, quæ dicentur, neutiquam poſſunt*, hactenus enim delineati homines hi ſunt, de quibus illud valet, quod in ſacris ethnicorum eleoſiniis, ſamothraciis aliisque olim fiebat, cum ſacerdos ingreſſuros inclamabat, ut eſt apud *Callimachum* ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλιτρὸς, *procul, o procul eſto profanus:* tales enim homines hoc *naturæ* beneficio in arduis & intricatis caſibus frui non poſſunt: Et quemadmodum *Pythagoras* hunc *mundum* κόσμον i. e. *pulcherrimum ordinem* vocavit, ita *microcoſmus* non *ataxiæ*, ſi juribus & privilegiis *naturæ*, quibus hyſterergia adſcribi poteſt, frui deſiderat, ſervire debet: Eapropter Subjecta, huc *idonea*, in *poſitivo* reſpectu *ætate, temperamento* & *viribus* ſunt *firma*, comparate robuſta, in *adverſis* ſubeundis & tolerandis *non* abjecta, nec inſueta, quæ adverſa aut *extraordinaria* contingentia aliquandiu *patienter* perferre poſſunt, quæ non *labe* quadam *immedicabili* laborant, quibus *ordinariæ* evacuationes non *pertinaciter* ſunt ſuppreſſæ, qui affectus ſui morboſi *mediocrem* gradum tolerant, in quibus *naturalis vigor* in functionibus *animalibus* & *naturalibus* adhuc quadantenus operoſus apparet, de quo ſtatu vulgo eloquuntur: Die Natur wolle ſich noch helffen, ſie wolle nur Zeit haben, daß ſie ſich nach und nach erhole: ideo in ejusmodi ſubjectis illa *peculiaris* qualitas

deprehenditur, quam *naturam medicatricem* nominant, in quibus hæc aut *manifeſtis* motibus cauſæ morbificæ reſiſtit, aut *clanculum ſucceſſivæ* mutationi in meliorem ſtatum operam ſuam confert: ejusmodi qualitatibus annumerari debet: quando cum quibusdam ſubjectis non modo hæc natura ſuo vigore atque ſtudio agit, quæ conveniunt, ſed & ubi oblata congrua *medicamenta* non fruſtra adhibentur, nec *contraria*, operantur, ſed *aliqualem ſalubrem* efficaciam largiuntur, ita ut *ſua* virtute *naturæ* officia ſublevent, nec non in diverſis *viis*, *organis*, *humoribus*, & ipſa *cauſa* morbi convenientem *præparationem* præſtiterint & contribuerint, quo relinquæ operationes naturæ ſemel ceptum negotium tandem *perficere* & præſentem hactenus *afflictum* ſtatum, in *meliorem* qualitatem & conditionem redigere queant: daß ſich endlich die Natur-Kräffte durch-arbeiten und retten; qualis ſtatus propterea non naturas ſegnes, torpidas, tardas, debiles & *infirmas*, ſed promptas, aſſiduas, negotioſas & *robuſtas* requirit; ſiquidem *viribus nimium* aut plurimum exhauſtis, *haud* hyſterergia *ſalutaris* promitti & expectari poteſt: ideo LENTILIUS *Miſcell. Pract. p. 475.* ait: *jam ejusmodi curæ, ubi expectationi non ſtatim ſatisfecerint, per hyſterergiam Medici LANGUENTES conſolari ſolent, qui a multis hinc irridentur, & objectionem Hiobiticam audire coguntur: Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis Hiob. 16. v. 2. Et quamvis diffiteri non posſim, ejusmodi ſolatium ſæpe numero evanidum eſſe & a ſubſequente letho ſigillari, attamen &c.*

§. V.

Nec etiam *promiſcue* in *quibuslibet* morbis ſperanda erit hyſterergia, quæ menſuram & *extenſionem* temporis

requi-

requirit, ſub qua *aliquandiu* certa curatio, aut congruorum *remediorum iterata* ingeſtio & dein aliqualis *mora* temporis ſuccedit & intercedit: ideo LENTILIUS *in Eteodr. p. 610.* dicit: *dixi, me non niſi invitiſſimum ſtatim poſt ejusmodi curſus medicatos, propinare pharmaca: ſic enim haud raro naturam in hyſterergia impediri: expectandos vel duos menſes, vel adminimum ſex hebdomadas & tunc an & quid opus ſit medicatu, diſpiciendum:* Ad hanc hyſterergiam igitur requiritur *mora* & terminus, quibus *morbus urgente* ſua vi procedit, nec non quibus certæ *medicationes*, aut medendi methodi, aut ſpeciales & *ſingulares curationes*, eigene beſondere Curen, inſtitui & ad exquiſitum ſuum terminum produci poſſunt, tandem requiritur *alia mora* aliusve tractus temporis, quo *clanculum* interea oblata remedia & *cum* hiſce, imo etiam *poſt* illorum uſum natura *ſalutiferas* ſuas operationes perficere poſſunt; quæ ſingulæ circumſtantiæ tantum inferunt, quod iterum *remotive* hyſterergiam haud facile aut promiſcue expectent, admittant & complectantur affectus *acuti*, ſive ſint *febres*, ſive *alii hujus* qualitatis morbi, quoniam illorum decurſus *brevi* temporis ambitu circumſcriptus eſt, niſi hiſce affectibus ſingularis mutatio ſuperveniat, ubi cauſa morbifica vel per *humores* diſperſa, in *principali* periodo quoad *pernicioſas* ſuas qualitates alterata, mitigata & præparata quidem, ſed minus ſufficienter evacuata eſt, unde quidem porro maximus vigor & gradus morbi aliquatenus remittit, *poſt* aliquod vero temporis *intervallum plenior* illius cauſæ morbificæ *excretio*, aut per largos & repetitos *ſudores*, aut per liberaliores *diureſes*, aut per *alvi fluxum*, perficitur, & ita conſequente peculiari operatione naturæ *ſpontanea*, ſine

 data

data occasione totus affectus solvitur; vel si causa morbi in aliquo *viscere* hæserit, evenit interdum, ut sub *intensiori* & graviori quidem morbi processu *potior* & copiosior pars causæ *morbificæ* vel uberioris *sanguinis*, vel *staseos* sanguineæ resoluta & consumta, vel *bilis* alicubi hærentis *acrioris* temperata & remota &c. fuerit, quod *residuum* autem præsto est, posteaquam medicamentorum usus *omittitur*, quando paullulum *vires* augescunt, *spontanea* modificatione ulterius & *alteratur* & separatur & ideo hystergia *hisce* affectibus connectitur: Neque facile hæc secundaria curatio expectanda erit in Morbis *Corruptis*, sive hæc corruptio provenerit a *perversis moribus*, sive *malo regimine*, sive *incongrua medicatione*, non minus in morbis *hæreditariis*, *anomalis*, *habitualibus*, pravis *animi* affectibus, ut & inquieta immorigera, & pertinaci *imaginatione* enutritis & sustentatis, nec non in affectibus *incurabilibus* atque *summum pertinaciæ* gradum assecutis: præterea in morbis alias *exquisitum typum*, aut etiam exactum *paroxysmum* observantibus: quin verius hæc *Hysterergia* in affectibus, *magis* quidem *chronicis* & aliquam temporis *elongationem* involventibus, in *leniori* autem adhuc gradu subsistentibus & *motibus naturæ* æque ac *medicamentorum* operationi obtemperantibus, expectari & indicari poterit: ideo LENTILIUS *Miscell. p. 475.* significat: *locum invenit, non in morbis acutis, sed chronicis, affectu hypochondriaco-hysterico, scorbuto, cachexia, chlorosi, viscerum intemperiebus, melancholia, hydrope &c.* addimus varias species *asthmatis*, *hepatis* & *splenis modicos* infarctus, *icterum*, *mesenterii* quosdam morbos, *œdemata* quædam, *vertiginosos* nonnullos absconditos affectus, *dolores* quosdam *chronicos*,

quo-

quorum causa *haud* manifesta est, *tumores* & inflationes *abdominis* tympanitico-hydropicos, affectus nonnullos *spasmodicos*, oppletiones humorosas pectoris, *Cephalicas* quasdam molestias, *artuum* torpores, insensibilitates, tremores, contracturas, *arthritico-paralyticas* affectiones & forte adhuc plures, sub attenta & judiciosa observatione obvios: cum quibus prædictæ subjectorum qualitates conciliandæ sunt: unde liquet, hanc observationem haud *infrequentem*, sed ob *intricatum* nominatorum affectuum statum notatu dignam esse.

§. VI.

Quod nunc *Medicationes* attinet, quæ ad talem *Hystervergiam* disponunt & præparant, tunc illæ *magis Alterantibus*, quam Evacuantibus absolvuntur, licet *hæc* propterea *non penitus* excludantur: adminimum huc non pertinent *fortiora* evacuantia, aut quæ largas, *simultaneas* & præcipites excretiones *urgent*, quippe quæ & causam morbificam impetuose aggrediuntur, aliquando etiam facilius *exacerbant*, quam subjugant & removent, interdum *longe aliam* causam & movent & evacuant, ideoque totum medicationis processum *confundunt*, insuper *motus* atque ordinem *pervertunt*, valde ominosam *ataxiam* provocant, morbi processum corrumpunt & *vires* admodum destruunt, proinde *visceribus* perniciosam *atoniam* conciliant, idque efficiunt, quod Hysterergiæ plane *contrariatur*: quando vero quædam remedia præter *efficaciorem* alterantem virtutem una blande, *leniter*, placide & tacite evacuant, illa hystererergiæ non adversantur, sed perinde respondent, siquidem modice & successive *aliquam* causæ *morbificæ* copiam removent, quo *residuum faciliori* opera motus vita-

les ſubjugare & ſeparare queant. Plurimum itaque Alterantibus aut *præparantibus* tribuendum eſt, quæ cauſam morbi ſive *laxius*, ſive *tenacius* aut *humoribus*, aut *viis*, aut *viſceribus* inhæreat, reſolvunt, abſtergunt, incidunt, colliquant, abſorbent, involvunt, corrigunt, temperant, fluidam reddunt, vias leniunt, demulcent, emolliunt, viſcera aperiunt, roborant &c. & ita multum ad ſucceſſivam *plenariam* ejusdem cauſæ abolitionem contribuunt; & quamvis communiter hæc qualitas *Acidulis* & *thermis* juxta ſimplicem obſervationem adſcribatur, nihilominus *aliæ* etiam medicationes conſtant, quæ talem curationem *ſecundariam pediſſequam* complectuntur, haud tamen hoc loco ſermo nobis de *incongruo* aut perturbato *harum aquarum* uſu eſt, quemadmodum nonnunquam medici, qui cum illis *idololatriam* committunt, easque nimiis, falſis, præjudicantibus, & adulatione jactantibus elogiis evehunt, ad hoc aſylum, quando illæ juxta artis regulas adhibitæ, promiſſum, declamatum & ſperatum effectum non præſtiterunt, confugiunt, inſuperque *incongruum* earum uſum, vel inconveniens *regimen* perperam accuſare ſolent; quin potius teſtamur, quod aliquando regularem harum aquarum uſum vix ſperata opitulatio excipiat, ut adeo huic defectui hyſterergia ſubvenire debeat, quæ expectatam ſalubritatem demum affert: ſuo etiam confirmat ſuffragio LENTILIUS vir quondam integerrimus & STAHLIANÆ doctrinæ multum favens, inſuperque curæ per acidulas, thermas, lac aſininum, caprillum, bubulum, ſerum lactis aliorumque talium vel quaſi arcanorum minime ignarus hanc annotationem *in Miſcell. Pract. p. 475.* inquiens: *profert nec vero me velim excluſum, qui haut raro ab acidulis & ther-*

thermis æque languentes rediisse vidi, quales abierunt, quamvis industriæ suæ reliquum in cura nihil fecissent (multi enim sua culpa pejores redeunt) præterlapsis enim tribus, quin imo pluribus nonnunquam mensibus, præter spem omnem perfecte convaluisse, per saluberrimam præcedaneæ curæ hystergiam: id quod aliis etiam locis, ut supra modo indicavimus, testatus fuit. Quod vero alias medicationes attinet, tunc pro morborum *gravitate* interdum *peculiares* curæ inveniuntur, seliguntur & instituuntur, de quibus dicunt, man müsse eine eigene Cur darmit anstellen: hinc *certa* remedia *determinato* temporis *intervallo* adhibentur, quæ post plenam ingestionem demum ad promissionem medicorum & expectationem ægrotantium in *sequenti* temporis mora *salutiferam* suam operationem exequi dicuntur: nec desunt etiam peritis medicis aut *communes*, aut *singulares* methodi, *medicationes* & substantiæ *medicamentosæ*, quarum effectus non extemplo, sed proxime *sequentibus* temporum terminis expectatur: ideo idem LENTILIUS *l. c.* indicit: *præcesserunt medicationes diuturnæ, menstruis temporibus aut longiore quoque mora absolvendæ, quas Angli Willisius, Sydenham, Mortonus, Lister &c. cursus vocare amant: v. g. Cursus chalybeatus &c. Ejusmodi Cursus sive medicationes sunt v. g.* ACIDULÆ, THERMÆ *aliæve* BALNEÆ *Minerales nativæ, aut artificiales variæ, Cura* LACTIS, *vel, sibi relicti varii* ASININI, CAPRILLI, BUBULI, *vel horum* SERI, *aut simplicis, aut herbis medicati: Juscula, vina, cerevisiæ medicatæ, succi herbarum expressi, liquor betulæ, medicamenta chalybeata; Curæ viscerales, destillata magistralia &c. huc etiam pertinent medicamenta pilularum vel Tincturarum &c. forma, quarum*

rum No. X. XI. XII. vel totidem guttæ ab initio assumuntur, singulis diebus adscendendo, iterumque descendendo, quod in acidulis plerisque fieri consuevit: Inde liquet, hystetergiam *non uni soli* medicationi, aut remediorum speciei & usui adstrictam esse, sed *diversas* illarum juxta solertem observationem admittere: ut propterea peritus & *judiciosus* Medicus non semper *extemporaneam* opem ordinatorum a se remediorum *urgere* & anxie expectare, sed interdum *post* aliqualem moram sperare & impetrare queat & debeat.

§. VII.

Ad Hystetergiam specialius significandam jam accedimus, & denotamus, quod interdum *Febres acutæ* continuæ ut superius monuimus, *convenientibus* remediis tractatæ, non quidem *sub typico* suo decursu solvantur, quamvis *modicæ excretiones* præcesserint, attamen *pristinum* suum typum *mutantes* & amittentes, *appendicem* quandam morbosam post sat notabile temporis *intervallum* assumant & vel in *lentam* febrem, vel in *chronicum* morbum abeant, *sub quo* aut *largiores sudationes*, quæ coerceri non debent, aut *laxior alvus*, aut tumor *œdematosus* cum *copiosa* partis affectæ *sudatione* conjunctus, aut *ulcus* in *cute* sponte exoriens & liberalius plorans, vel superficiales inflammationes in *apostemata* transeuntes, contingunt, quibuscum nonnunquam *pristina* febris & valetudinarius status *plenius* & penitius *solvitur*, ac amissa *sanitas* revertitur: Seorsim autem notandum est, quod febres *biliosæ*, *inflammatoriæ* & *sanguineæ* nonnunquam *hystetergiam* cum largiori *sudatione* involvant, *catarrhales* autem quandoque *diarrhœam* salutiferam *pedissequam* habeant: nec desunt exem-

pla,

pla, quod *remittente maximo* febris gradu nihilominus *urina largior* & *tinctior* effluxerit, & cum hac, *consequenti* tempore, *fæx* quasi *prægressæ* febris excreta fuerit: Quod *intermittentes* Febres concernit, non desunt testimonia harum paroxysmos, post *idoneorum* remediorum usum aliquando cessasse, non vero *perfectam* sanitatem recurrisse, quin potius appetitum *prostratum* & vires *infirmas* remansisse, donec *post aliquam* moram *robur naturæ* saburram *hactenus* asservatam, nunc autem *melius* præparatam vel *laxiori* alvo vel *crebriori* vomitu excusserit, & ita partes hactenus *oppletas* liberaverit; Præter *hosce febriles* affectus interdum evenit, ut in *primis viis*, intestinorum canali, mesenterio & aliis *organis abdominis* impuritates variæ aliquandiu coacervatæ, & e *tota Massa Sanguinis* adauctæ, sustentatæ & *pabulo* aliquo congruo *enutritæ* fuerint, unde morbi quidam chronici cum colica, flatulentia, spasmis, inflatione abdominis, anxietate præcordiali, appetitus prostratione, nausea, conatu vomendi, dyspnœa, adstrictione alvi, retentione urinæ, aliisque pathematibus conjuncti, non tamen subito cum affectu *hypochondriaco* confundendi, oriuntur, in quibus usurpata *resolventia*, aperientia, roborantia, evacuantia &c. *speratam* utilitatem haut *sufficienter* obtulerunt, unde ægri *tantæ* remediorum *multitudinis odium* percipientes, *liberum* affectui cursum relinquunt, sie sind des Artzeneyens überdrüßig, und lassen es gehen wie es will, donec *post* aliquam moram, ubi hactenus morbus *nec meliorem*, *nec deteriorem* statum assecutus est, sponte strenua & larga evacuatio alvina, per *diarrhœam* aliquot diebus durantem, aut *diuresis crebrior*, aut *sudatio* per *plures* dies continuans contigerit, quæ ad miraculum quasi *intrica-*

tum illum, hactenus toleratum, affectum *plenariè* & cum *ſanitatis* conſecutione ſolvit, unde exclamationes innotuere, man hätte nichts mehr vor ihr Leben gegeben, und ſie wären auf eine ſonderbahre Weiße wieder geneſen: Ita nonnunquam homines *pulmonum infarctu* laborant, qui multas & diu durantes creat vexas, *difficilem* cauſatur reſpirationem, *tuſſim* valde ſuſpectam, coloris naturalis depravationem, virium imbecillitatem, corporis aliqualem marcorem, omnium functionum ominoſam mutationem, complectitur & introducit: Cui affectui ſi opponuntur *apta* remedia, contingit quidem ut hæc *aliqualem*, ſed *ſemi* plenam tantum utilitatem afferant, interea autem idem morbus in *longius* ſe extendat, usque demum poſt temporis *notabilem* tractum & quando ante uſurpata remedia omiſſa fuerant, nunc ſponte præter expectationem *largior* quædam *expectoratio*, aut liberalior ſimul *ſudatio* conſequatur, ab hoc etiam tempore ægri convaleſcere, priſtinas vires & amiſſam ſanitatem denuo impetrare inchoent: Quæ ſatis luculenta & attentis obſervatoribus bene gnara ſunt *Hyſterergiæ ſalutaris Specimina* atque teſtimonia.

§. VIII.

Præter hæc annotata Hyſterergiæ exempla, dantur adhuc *varia alia* & quidem quando nonnulli homines *Glandularum obſtructione* laborant, inſuper aut *cachecticum* aut *hecticum* habitum corporis obtinent, indeque *chronicum* valetudinarium ſtatum incidunt; quodſi adverſus talem aut *univerſalem*, aut *particularem* Scleroſin remedia, præc. *mercurialia* ſecura & congrua, quæ intimius & *potentius* reſolvunt, colliquant & aperiunt, *ſucceſſive* vero hanç operationem exequuntur, adhibeantur, non modo

quali-

qualitas talium remediorum nimis *largum*, *continuum* & *diuturnum* uſum illorum prohibet, ſed & circumſtantiæ requirunt, ut, dum illa remedia tam *cito* corpus *non* egrediuntur, illis *aliqua temporis* mora concedatur, qua *neceſſariam* ſuam efficaciam exſerere queant, unde demum iterum contingit, ut *non ſub* eorum medicamentorum uſu, ſed *poſt* aliquod temporis *intervallum* exoptatus & ſalutaris effectus, aut modico *ptyalismo*, aut leni *diarrhœa*, aut temperata & conveniente *ſudatione* manifeſtus, conſequatur: Simile & plane *parallelum* quid accidit, ut vel ob *malam diætam*, vel ob malum *regimen*, vel ob valde *depravatos* humores, vel ob *malam* medicationem *ſcabiei*, *tumores* glanduloſi in *collo*, & circa *aures* atque *maxillas* oriantur, quibus *diſſipandis* nonnunquam utiliter *ſecura mercurialia* medicamenta adhibentur, quæ non *præſentaneum* & extemporaneum ſalubrem edunt effectum, ſed hunc poſt notabilem temporis tractum conciliant: Magis *luculenta* talis eſt hyſterergia, quando ſelecta, *ſecura* & probata medicamenta *mercurialia*, velut *præcipitationes* mercurii condignè *dulcificati* certis affectibus opponuntur, taliumque pulverum certus numerus per *aliquot* dierum ſeriem asſumitur, & ita hæc cura *terminatur*, inde evenit, ut mercuriale tale medicamentum per *plures* conſequentes dies in corpore ſubſiſtat, ſuumque effectum præſtet, qui tandem *ſucceſſu* temporis cum *ſanitatis*, *indies* redeuntis, *conſecutione* apparet: Idem etiam ordinarie contingit, quando *Salivationis* cura adhibetur, quæ *conſequentem* talem *mercurialium* auxiliorum operationem comprehendit. Quodſi porro *modici* infarctus in *hepate* aut *ſplene* obtigerint, quibus reſolvendis, aperiendis, diſcutiendis, inciden-

dis &c. varia Salina, lenientia, diluentia, infusa vinosa & aquosa, decocta, balnea naturalia aut artificialia, acidulæ naturales aut artificiales, Tincturæ, diuretica incidentia &c. ordinantur, tunc singula hæc vix confestim obstructa talia viscera permeare & penetrare valent, quando, vero illorum usui congrua vectura, equitatio & peregrinatio subjungitur, tunc præviæ occlusiones recluduntur, ita ut ad felicem & *salutiferam* hysterergiam promovendam & *invitandam*, sæpe *plus* ejusmodi *regimen*, quam præmissum *remedium* conferat: id quod de *Acidularum* & *thermarum* usu valet, quarum aquarum *salubris* virtus *sine tali* regimine *nulla*, vana & jactabunda est, cum vicissim sine harum aquarum usu, alia salia incidentia & resolventia cum sufficienti *vehiculo* liquido *soluta*, aut *congrua* decocta & vina medicata sub *ejusmodi* regimine usurpata, *eundem* effectum producant, quippe quæ *posterior* cura longe certior, *constantior* atque vilior existit, cum prior *utpl. palliativa* juxta *innumera* testimonia esse soleat, & loco salutaris hysterergiæ *subita mors*, irruat, hinc illud asylum: er hat sich nicht darnach gehalten. Dantur etiam morbi, quorum valde *pertinax* sedes in *humoribus* hæret & in *peculiari* pravitate consistit, quæ tam facile corrigi & immutari non potest, ideo adhibita remedia aliqualem accessum & præparationem faciunt, ut *aliqua* copia *intemperatæ* & perniciosæ causæ abstergatur & excernatur, reliqua deperdita quantitas humorum *successive* melius diluatur, emolliatur & ad consequentem *meliorem depurationem* præparetur, alia portio *depravata dissolvatur*, & in comminuta tali qualitate facilius evacuetur: qualis processus *haud* in *brevi* temporis circuitu perfici potest, ea propter post ali-

quam temporis distantiam *largiores*, iique admodum *distincti*, ac per plures dies continuantes sequuntur *sudores*, quibus *præcedens* morbosa afflictio *spontaneo* cursu tollitur: Et quid dicamus de talibus morbis, qui post longum remediorum usum, tandem in sponte orientes *tumores*, *apostemata* & *abscessus* mutantur, e quibus aliquandiu *magna* copia fœtidæ & pravæ materiæ secedit, quæ consequens excretio non parum *prægressam* valetudinem *adversam* mitigat & minuit; quo etiam observatio *naturalium fonticulorum* referenda; & hæc sufficiant brevissima historica commemoratione quoad factum, sive observationes non raro æque obvias demonstrasse, quod & ubi Hystererergia occurrere soleat.

§. IX.

Subinde autem indicandum erit, quod hæc Hystergia non *absolute* & *semper salutarem* assequatur effectum & *eventum*, sed quod interdum *sinister* exitus spem *fallat*, siquidem aliquando *causa* morbifica *gravitate* & *pravitate* sua, vires *naturæ* & *remediorum* superat, ut frustra medici illam sperent & expectent: ideo etiam pro fama artis & Medici militat, ne in *promittendo* salutari eventu atque successu *præcipitantia* & *levitas* animi committatur, ne *fraudulenta* medici actio accusetur, quando pax & sanitas promittitur, & mors atque destructio sequitur: *conf.* BOHNIUS *de offic. Med. duplic. Part. I. cap. 8. pag. 184. 185. Paulus* ZACCHIAS *Qv. Med. Legal. Lib. 6. tit. 1. qu. 4. n. 14.* dicit: *medicus Christianus non debet certam incolumitatem ægro polliceri:* FONSECA *Oeconom. med. cap. XI. in casibus incertis, ancipitibus aut dubiis, nihil certum prædicendum nec promittendum, licet aliquid sperandum:* LENTILIUS *in*

Eteodr. p. 993. cautum se præbeat Practicus, ne salutem pollicendo, si res aliter ceciderit, adstantium semel ludibrio exponat: Ob id in hac hysterergia *triplex* hic status annotandus erit, *primo* quando *certiora* indicia *consequentis* sanitatis adsunt, *dein* quando *ambigua* & fallacia talia signa occurrunt, *tandem* quando *meliora* quidem crinomena affulgent, quæ tamen per varia accidentia *intercurrentia*, & illa etiam *leviora salutari* suo decursu destituuntur: *Primum* statum quod concernit, tunc *prudens* medicus ex causis *ætatis vigorosæ, naturæ robustæ, virium* præsentium & præstantium, *gradus* morbi adhuc *mediocris* & tractabilis, *remediorum* adhibitorum, quando *aliqualem* desideratam utilitatem & *opem* præstiterunt, neque plane otiose usurpata fuerant, ægri animi patientis, morigeri & obtemperantis, morbi magis in meliorem, quam deteriorem statum inclicantis, *præcipuarum* excretionum modicæ continuationis, *appetitus* & *somni* mediocris perseverantiæ, animi tranquilli & confidentis, alicujus ægrotandi *adsuetudinis* & tolerantiæ, *firmitatis* & præsentiæ erga res *extraordinarias*, insuetas & offendentes &c. certiorem hysterergiam *salutarem* prædicere, & secundum hosce charecteres, reliquos dubios observare, dijudicare & indicare poterit: ideo medicam partem *prognosticam* FRANCUS *in notis in Zacchiæ qv. med. leg. Lib. 4. tit. 1. qv. 5. n. 8.* appellat ϛοχασμὸν τεχνικὸν: *vid. Casp.* HOFFMANNI *institut. med. Lib. 1. cap. 1. §. 3. seq.* BRUNO *dogmat. medic. gener. proleg.* DIETERICUS *Jatr. Hippocr. n. 1. aliique.* Et ita idoneus & peritus Medicus omnes circumstantias quoad *ægrum*, quoad *morbum*, quoad *remedia* quæ adhibita fuerant, quoad *methodum*, qua illa ordinata fuerant, quoad *effectum* illorum

lorum &c. judiciose observat, conciliat, & dijudicat, ne fallacem hystererergiam præsagiat: eam ob causam *Casp. Caldera de* HEREDIA *de prognosis fallacia* monet: *cave ne præsentibus signis melioris spei, absolute bona pollicears, una enim nox totam spem fallere potest:* ea propter etiam LENTILIUS *in Miscell. med. pr. p. 474.* confitetur: *ita cum hystererergia medicinali comparatum est, ut præter inane solatium, aliquando nihil omnino languentibus reliquum maneat, donec justitiæ supremus exsecutor, ferus verusque carnifex Mors, litem immisericordi falce dirimat*, quid quod porro testatur, ut supra §. 4. in fine allegavimus, quod *sæpe numero hoc salatium evanidum sit, & subsequente morte sigilletur;* nihilominus *alii* etiam casus *melioris* operationis atque successus innotescunt, qui prudentem Medicum certiorant & confidentem reddunt, quo hanc hystererergiam *judiciose* ordinet, & fundatis atque solidis rationibus instructus *naturæ* etiam viribus ad salutares effectus obtinendos utatur, nec remediorum supellectile aut *abutatur*, aut præter necessitatem ægrum *oneret* & *enervet*.

§. X.

Paucis adhuc illarum causarum reminiscimur, quæ in *salutari* Hystererergia attendendæ veniunt: præsupponit hæc Cura *consequens*, præcedentem usum remediorum *congruorum* & *utilium*, nec non aliqualem *convenientem* illorum operationem prægressam, ita ut hæc omnino cum morbifica causa *physicum* suum commercium habuerint: proinde etiam usus docet, *eadem* remedia, quando in toto curationis studio omittuntur, *nec penitus* e corpore ægrotantis *excreta*, nec penitus in corpore *otiosa* latitare, sed aliquandiu adhuc *modicam* vim & efficaciam exserere

&

& continuare, quæ præſentis morbi *reliquiis* quadantenus facit ſatis: *Sola* autem remedia tam *arduum* opus in ægro corpore *principaliter* perficere haud poſſunt, ſiquidem alias *ſalubris* effectus medicamentis affingi non poteſt, quod amplifice PRÆSES *in tr. de medicamentorum modo operandi in corpore vivo* demonſtratum dedit: ideo in hoc negotio tam *remediorum ſalutari* operationi, quam reliquæ Hyſterergiæ adminiſtrandæ & perficiendæ *dignior* longe cauſa, quam *materialis* ſubvenit; quemadmodum oblata remedia haud per *magnetiſmum* ad *cauſam* & *ſedem* morbi trahuntur, ducuntur, truduntur, pelluntur, neceſſitantur &c. nec *fluidis* & *ſolidis* partibus, nec grandi illi idolo *elateris* & *æquilibrii* tanta ineſt vis, ut ſalutarem illum effectum producere & dirigere valeant: ideo talium medicamentorum operationi *motus vitales* ita ſubveniunt, ut nihil *tumultuarii* inde oriatur, ſed ut *ſucceſſive* cauſa morbifica *condigne* ad futuram abolitionem & remotionem præparetur, neque illa remedia in tam *ægro* corpore, ſub ejusmodi *motuum* vitalium *offendiculis* alicubi ſubſiſtant, & illic vexas & alterationes *novas* cauſentur, quod per rationem *mechanicam* æque *facile* contingere poteſt, ac *ſalubris* inde effectus expectandus eſt: Quando itaque LENTILIUS *l. c.* antea de acidulis & thermis, de lacte aſinino, caprillo, bubulo, de ſero lactis &c. verba fecit, porro *p. 475. Miſcellan.* pergit: *quæ autem ſit ejusmodi hyſterergias ratio, disquirere non fuerit prorſus inutile: præſupponimus autem animam ſenſitivam, archeum aut quocunque demum nomine veniat ille Paterfamilias &c.* addimus quæ *Caſp.* HOFFMANNUS *Orat. altera p. 8.* docet: *quemadmodum oculos ſine capite curare non decet, nec ſine reliquo corpore*

caput,

caput, ita neque ſine anima corpus: & hæc cauſa eſt cur plerique corporis morbi lateant Medicos Græcos, quia ignorant, quid ſit id, quod imprimis curam ſuam deſiderat, quo male affecto fieri non poteſt, ut illa pars bene habeat: ANIMA hæc eſt, e qua in corpus HOMINEMQUE TOTUM, manant OMNIA, tam BONA, quam mala, non ſecus ac ex capite fluxiones fiunt: hanc igitur ANTE OMNIA curare oportet, ſiquidem recte curatum volumus corpus &c. &c. Inferimus itaque quod ad Hyſterergiam *ſalubrem* producendam, illa cauſa *abſolute* requiratur, quæ tot *complicatos reſpectus* extricare, *arduas* corporis afflictiones, mutationes, alterationes & *offenſiones* tam *ſuis* viribus, quam *remediorum miniſtrante* uſu, quoad *ſpecialiſſimas* ſuas cauſas corrigere & in meliorem partem convertere poteſt: etenim fatua & futilis eſt exceptio, quia talis proceſſus *ſe- & excretoriis* functionibus adminiſtratur, *anima* vero *neutrum* poteſt, ergo anima ægrotum corpus ſanare & reſtituere haut valet, quales *nugæ*, ne quidem reſponſione dignæ vervecini cerebri ſpiritibus relinquuntur: nam ex imperfectis experimentis chymicis, aut rectius turbulentis confuſionibus diverſorum liquorum aliquam claudicantem & fœtentem aſſimilationem ſecretionum ad *naturalem*, *ordinariam* & *extraordinariam* ſe & excretoriam functionem variis *ætatibus*, *corporibus*, *morbis*, *temporibus*, *gradibus*, *ordinibus*, *regiminibus*, *vitæ generibus*, ingeſtis alimentis, potulentis, medicamentis reſpondentem &c. manifeſtam imbecillitatem rationis, ne dicam judicii produnt: quamdiu itaque nondum demonſtratum eſt, nec demonſtrari poteſt, quod *tales* ſe & excretiones, *hiſce* qualitatibus notatæ, ab *aliis* cauſis formari, informari,

 appoſi-

apposite applicari & dirigi queant, tam diu per enthymematicam conclusionem inferimus, animam illam, quippe naturam, *nunquam* hactenus *sobriis* & *solidis* rationibus destructam, etiam in *hoc Hysterergiæ* Processu officiosam & negotiosam, *neque ullam* aliam causam *sub Sole* & *Luna* obviam esse, quæ in ordine *naturali principalius* tale negotium perficere posset: Hæc sunt, quæ succincta deductione, de Hysterergia Medica præsenti specimine commendare & explicare placuit: finem huic labori imponentes DEO benignissimo pro præstito auxilio devotissima gratiarum actione præsentem meditationem consecrantes, quo eandem alma sua directione & benedictione ad salutarem promoveat usum atque

F I N E M.

NOBILISSIMO
DOMINO CANDIDATO

Ἐπιτυχίαν

PRÆSES.

ÆQuum atque sincerum SIMONIS PAULI in *Q. B. tit. Nymphææ in fine*, est judicium, quod de certi cujusdam Medici candida confessione fert, quando eloquitur: *quis hujus viri candorem satis potest laudare: eam enim confessionem si plures imitarentur scioli, nec mordicus suas præconceptas opiniones defenderent, Philautia*

lavtia ita occæcati, ut Thyresia sint cæciores, longe rectius utique irent res humanæ, ac jam usu venit, multæque peri- turæ parceretur chartæ. Id præc. ad varios processus Praxeos medicæ applicandum esse judico, quorum quidam fluctuantes atque erronei, Patrocinium aut quærunt, aut inveniunt, alii salubres & periti vicissim nihilominus suos Censores inveniunt: Disceptatur de veritate, quam omnes affectant, & utinam omnes possideant. Utut autem non omnia negotia Practica extemporaneo successu salutifero comprobantur, eapropter tamen illa haud præcipitatam & rigorosam promerentur animadversionem: etenim variorum morborum status & gratus ita obstinatus est, ut in spe & silentio, sub hora & mora consequens tandem auxilium expectandum sit: judicet interea de viri cordati officio quisquis voluerit; in fine videbitur in quem culpa sit conjicienda. Quemadmodum enim non omnes morbi artis potestati absolute subjecti sunt, ita non pauci illorum sunt, qui temporis demum successu franguntur, nec continuo ausu & usu remediorum cogi aut volunt, aut debent: ut porro ægrotationibus interdum tempora & mora sua relinquenda, ita ars medica & remediorum vires suos habent limites, cursus atque decursus. Hæc judiciosa expectatio haud errori adscribenda est, eapropter tamen Medici minime infallibiles sunt, sed juxta LENTILII monitum in *Eteodr. p. 4. 5.* errores ipsi suos ingenue confiteri, nec sua consilia, inventa & facta gloriose tantum ostentare, sed æque & prudenter cognoscere debent, quod bonus interdum dormitet Homerus. Secum enim in foro Medico habitare, prudentis Medici character est: quid quod juxta PLUTARCHUM *de aud. poet. ep. 19. non timide velut in templo omnia horrere, omniaque superstitiose revereri se de eo, quod decet libere ac intrepide*

pronunciare oportet. Eadem TIBI NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE fuit intentio, dum perutilem aliquam obſervationem Practicam Inaugurali hoc Specimine ventilare, nemini autem meditationes Tuas obtrudere, ſuſcepiſti: exhibes hoc labore non vulgarem, attamen nondum ampliori ſtudio exaratam tractationem, quæ Curationem morborum quaſi cunctatam & ſerotinam complectitur. Selecta etiam argumenta, quæ ſimul crebrioris uſus & applicationis ſunt, non quidem novitate, nec curioſitate, utilitate autem ſe commendant. Siquidem Tibi huc usque laude dignum ſtudium curæ fuit cordique, tales ſub indefeſſo ſtudio cum reliqua proba ac bene morata vitæ integritate conjuncto colligere fructus, quos genuino artis Medicæ exercitio cum futuro emolumento ſaluti proximi applicare vales: nec unquam Te pœnitebit ejusmodi hauſiſſe ſcaturigines, quæ ad curatiorem cognitionem Naturæ, ita dici ſolitæ Stahlianæ, certe minus pigræ, ſed ſufficienter ac judicioſe operoſæ & prudenter negotioſæ, ſub cujus umbra, protectorio & alis omnes, quos reliqua eſuriens delinquit ratio, gratiam quærunt, recta, regia, rata & ſtata ducunt via: Macte ſis hac veritate; dum non niſi pigra & nigra ingenia hoſce fugiunt, deſerunt & a tergo adſpiciunt limites. Plus ultra ductus & ordines Naturæ ſcruteris velim: ita experieris, de quo multi ſibi gratulantur, de quo ego Tibi nunc gratulor, atque candido animi affectu proſperos Tibi apprecor ominorve rerum ſucceſſus: noſti nobis ſymboli inſtar inſervire, operari conſcientioſe & judicioſe, quæ qualitates cœleſtem ſemper concomitantem habebunt benedictionem, quæ Tuis ut annuat honeſtis conatibus, ſemper faveo. Vale. Dabam Pridie Calendarum Aprilis, ipſis Paſchalis Feſti Vigiliis. A. R. S. cIↄ Iↄ cc xxxvi.

VIRO

VIRO IVVENI
NOBILISSIMO ET PRAECLARE DOCTO
IOANNI DANIELI SCHNAPPERO,
S. P. D.
IOANNES IVNCKERVS.

DIssertationis Tuæ, VIR CLARISSIME, argumentum nominis quidem intuitu recentem admodum habet originem, dignitatis autem & vſus amplioris reſpectu ad principes rei medicæ veritates, quas iam antiquitas paſſim agnouit, referri meretur. Quo vero rarius hæc veritatis planta in Medicorum agris colligitur: eo ſanctius ſane in illo colenda eſt. Siue enim *hyſterergiam* conſideremus illam, quam ipſa natura motibus ſuis emendantibus, ſupplentibus & conſummantibus intendit, ſiue alteram, quam artis miniſterium præſtare debet: Tu, VIR DOCTISSIME, ſatis indicaſti, quam ſæpius vel ignare præteruideatur, vel peruerſe adminiſtretur. Quare ſicut actum de nouo agere incongruum eſſet, ita vulgare tantum illud vitium incuſabo, quod in ſynergis miniſtris, ad ſecundarios illos labores conuocatis, deprehendendum obſeruamus. Videlicet his vſitatiſſimum eſt, anteceſſorum ſuorum medelam inculpare, eorumque labores præparantes adeo reiicere, vt effectum quemcumque bonum ſibimet ſolis deinde arrogare ſtudeant. Quum vero hæc in alieno labore gloriatio, ceu peſtilens virus, officia quæcumque medica turpiter commaculet: tum ſinceri Medici eſt, perpetuo recordari, *ſeminantem* eſſe alium, alium *metentem*. Qui vero æqui huius iudicii obliuiſcitur, alteriusque labores perfide contemnit, ille talionis lege eamdem iniquitatis cenſuram certiſſime demum incurret. Verum enim vero alia adhuc datur *hyſterergia* medica, vbi ἔργον πρώτερον non fuit

laudabile, ſed morbum corrumpendo ægrotantem in ſtatum periculoſiorem coniecit. Empiricas puto curationes & cæca illa tentamina, quæ per vulgus paſſim inſtituuntur. Horum quidem anteceſſorum labores tantum abeſt, vt probare poſſimus, vt potius quouis modo reprobandi ſint. Quumque hi morbi corrupti præ aliis frequentius occurrant: tum *hyſterergia* medica longe maiores in illis curandis difficultates offendit. Teſtes in hanc rem citare alios non opus erit: Tu enim Ipſe, VIR CLARISSIME, elapſo hoc biennio, quo Te praxeos medicæ ſynergum habui, ſatis expertus es, quod raro alii, quam quidem corrupti morbi Medicorum curæ offerantur. In his quid faciendum ſit, quid omittendum, non eadem omnibus eſt ſententia: alii enim τὸ ἀπέχειν conſultius iudicant, dicentes: man curire nur ſeine Schande daran; alii autem adflictos deſerere iniquum putant; præcipue cum eorum nonnulli interdum reſtituantur. Quæ via vti certior eſt, ſic falſam iudicamus circumſpectionem illam, qua medicinæ inprimis tirones famæ ſuæ per abſtinentiam ab his ægris proſpicere cupiunt; quaſi vero non daretur occaſio, iuſta prognoſi artis miniſterium tueri, & lethali euentu genuinas cauſſas explicare. Hæc ſunt, quæ thematis Tui occaſione Tecum, VIR CLARISSIME, communicare volui, debui. Ceterum gratulor Tibi & vere gratulor de curſu ſtudiorum feliciter nunc abſoluto. Bene Tibi dicat DEVS, & rebus Tuis perpetuam largiatur felicitatem. Vale! dab. d. XXIX. Mart. MDCCXXXVI.

E P I G R A M M E.

Tu parois donc enfin, dans ces lieux deſtinez,
Aux doctes filles de Memoire;
Parmi leurs fils, qu'on y voit couronnez,
Tu t'acquiers de la gloire.
Toi qu'on vit epuiſer, les ſublimes ecrits,
Et d'Auguſtin & d'Avicene;

Chez

Chez toiles corps, ainsi que les esprits,
Trouveront leur Galene.

Ces peu de mots à eté jugé dû à un ancien & fidele Ami,
par son trés humble serviteur
Jean Philipe Baratier, Maitre és Arts.

Zu Dich, geehrter Freund, ietzt Ehr und Würde zieren,
So feyret mein Gemüth auch Deinen Ehren-Tag;
Es fordert Schuld und Pflicht hierzu zu gratuliren,
Nur leyder! daß mein Kiel nichts würdiges vermag;
Jedoch die Freundschaft solls mit stumpfer Feder wagen,
Dir meines Hertzens-Wunsch und Neigung vorzutragen.

Aufrichtigkeit und Treu flieht schmeichelhaftes Wesen,
Drum ist auch dieses Blat von solcher Schmincke frey:
Du wirst kein Ruhm-Gedicht noch eitles Lob hier lesen,
Ich weiß, daß Dirs verhaßt, und mir zuwieder sey,
Fridriciana kan durch ihre Gunst schon lehren,
Wie hoch wir Dein Verdienst und Wissen sollen ehren.

Dich hatte zwar, mein Freund, der HErr schon ausersehen,
In seinem Weinberg ihm ein treuer Knecht zu seyn,
Dem Schul-Amt öfentlich als Lehrer vorzustehen,
Doch gab ein innrer Trieb Dir andre Neigung ein.
Du legst mit frohen Muth Dein Amt freywillig nieder,
Und widmest Dein Bemühn Hygeens Künsten wieder.

Du hast hiebey die Wahl nach Hertzens-Wunsch getroffen,
Die GOttes Fügung hieß und nicht zu bessern steht,
Des Himmels-Gunst läßt Dich nichts als nur Gutes hoffen,
Und macht daß alles Dir erwünscht von statten geht,
Verknüpfe nur, mein Freund, hinfort die beyden Lehren,
So wird sich, wie Dein Glück, so auch Dein Seegen mehren.

C. L. Behrens, Gandersh. M. C.

ES Medicus duplex sanans cum corpore mentem:
Hæc Tibi cura fuit bis Pritanæa adeuns.
Hinc primo didicit prophetica verba juventus,
Quo vivas justus matria cura fuit,

Ac cineres patrios olim reddas redivivos;
Templa fuerunt quantum, scholaque præstiteris.
Nigra tamen vestis poterat te cogere nunquam,
Quo Clero constans obsequium voveas.
Nam gliscens ardor Phœbea ex arte cluendi
Continuo crevit: Læte labore Tuo.
Es mensus felix studium dudum meditatum,
Laurea quare Tibi pro diademade erit.
In Patria civitate sequentur præmia plura,
Te cupiunt omnes, acceleres reditum.
Concurrunt ægri, certant citius veniat qui,
Ipsorum tollas funditus arte malum.
In manibusque suis simul aurea præmia protant:
Sicque beatus erit morbidus & Medicus.

J. Usenbenz, Ulmens. M.C.

Bey wem sich Fleiß, Verstand und Kunst vereint befinden,
Dem muß Hygea selbst die Lorber-Cräntze winden.
Diß trifft bey Dir, mein Freund, vor vielen andern ein,
Drum wird auch, was Du thust, beglückt, geehret seyn.
Erfülle demnach heut Dein längst gehabtes Sehnen,
Daß mit dem Doctor-Hut Dich Halle möchte krönen.
Leb also stets vergnügt, der Höchste seegne Dich,
Und wenn Dirs glücklich geht, so dencke auch an mich.

Joh. Christ. Untzer, Halens. M.C.

AScendis cathedram clypeatus telaque portans;
Te tueare licet, vulnera des caveas.
Pace feres etenim palmam, qua dignus haberis:
Si lædis, MEDICI nominis esto memor.
Arma tamen teneas, ac hostis dicere mortis;
Quam si depuleris, DOCTOR amatus eris.
Si succumbis ei, vitæ solabitur auctor
Sic fatus: DOMINUS sum MEDICUSque tuus.

Fridericus Esmarus, Flensburgens. M.C.

FReund, Den ich so zärthlich liebe,
Da Tugend und Geschicklichkeit
Dir dauerhaffte Cräntze beut;
So wär ich aller Straffe werth,
Wenn ich allein zurücke bliebe.
Gewiß, wer Dich wie ich verehrt,
Dem dient Dein Ehren-Tag zur Lust.
Er lacht, er wünscht in seiner Brust
Bey Deinem steten Wohlergehen,
Des Glücks Gerechtigkeit zu sehen.

A. R. J. Bünemann,